



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

De Personis Ecclesiasticis, Earumque statu, Dignitate, munere, &
Immunitate

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 4. Præposito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61816)

§. IV.

De Præposito.

I. **M**ultùm Ecclesia Germanica ab aliis dilcrepat, tum in ritibus, tum maximè in titulis, & dignitatibus. Præpositi enim in ecclesiis Cathedralibus apud nos summa est auctoritas, & immunitas, cum alibi omnes ferè, qui præfunt eo nomine gaudeant etiam apud Regulares, & Monachos: quanquam Mosconio teste, l. 1. Par. 1. c. 14. ex c. dudum de elect. præpositura officium ecclesiasticum sit, requirens ordinem presbyteratus. Lancelot. l. 1. tit. 14. Azor II. l. 3. c. 18. Q. 1. Filiuc. in Append. Tract. 41. c. 1. n. 30. Manrique Q. 41. n. 1. & 2. Directorium Octavii Frangipani pag. 153.

II. Nullum in jure Canonico titulum extare de Præposito observavit Azor II. lo. cit. eius tamen non rarò mentionem fieri in responsis Romanorum pontificum fatetur. Addit, in ecclesiis Germaniæ, Poloniæ, Flandriæ, & Angliæ Personatum, ac Dignitatem habere: alicubi etiam iurisdictionem, & curam animarum, eò quòd toti Canonorum Collegio præsit. Vltimum hoc de qua Germaniæ parte, & quo sensu verum sit, minimè liquet. Econtrario Reginaldus l. 30. tit. 1. Sect. 3. notat in omnibus ferè Galliæ ecclesijs consuetudinem obtinere, ut Decanus habeat iurisdictionem in Capitulum seu Collegium Canonorum: in ecclesijs verò Germaniæ non Decanum, sed Præpositum esse caput Collegij Canonorum. Melius dicitur esse supra, vel extra Capitulum, ut Præfectum bonorum temporalium, & reddituum, quorum ipsi cura & administratio com-

mittitur. c. Vt primicerius unic. de off. Primicerii. Tholos. l. 15. c. 18 Pacianus l. 1. l. 2. c. 27. Seb. Casar de eccles. hierarch. q. 1. proœm. F. Erh. VVinheim in Sacratio Agrippina p. 32.

III. Illud minimè obscurum est, in superiore Germaniâ, si non omnibus, certè plerisque ecclesijs cathedralibus, & collegiatis Præpositos nullam animarum curam vel interiorem iurisdictionem habere: quamvis alicubi in locum Abbatum vel Priorum conventualium successerint, ut exempla docent, & annotatum est à Reginaldo l. cit. Meritò igitur, & verè Oeconomus vocatur, qui proventus ecclesiasticos administret l. 1. feud. tit. 1. c. Vt Abbates de ar. & qual. ord. Rebuff. in Comm. ad l. 124. de verb. sign. Galganet & Cunha ap. Barb. in cap. cit. Item in cap. Vt primicerius de off. Primicerii,

§. V.

De Decano.

I. **D**ecani nomen hoc tempore non tantùm in ecclesia, & Monasterijs, sed Academicis quoque usitatum est, non habitâ ratione numeri, quamvis à Denario ortum videatur. Illi tribuitur, qui Capitulo præest, uti caput cleri in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata. Vnde Sacerdotij ordinem habeat necesse est. c. 1. & 2. dist. 60. Cardinales quoque suum Decanum habent, & Auditores Rotæ. Honorabilior Decanus est in Capella summi Pontificis propter ministerium, quod vocatur Mitra. Decanum Civitatisensem cum Archiepiscopo eundem esse, docet Angelus & Mosconius. Tholos. l. 15. c. 4. nu. 6. Barb. de Canon. c. 4. n. 31.

II. Jure communi non est dignitas, sed speciali